Licet enim in textu biblie aperte non inueniatur
tamen certum est quod verbis blandis ei adulabatur.
Hic aduerte qualis et quanta est fraus mulieris
caue tibi a muliere blanda ne defraudaris
Respice adam opus manuum dei et fortissimum sampsonem
respice dauid uirum secundum cor dei et sapientissimum salomonem
Si tales et tantos decepit fraus mulieris
quomodo tu qui non es talis et tantus a muliere securus eris
Uirum adam quem diabolus temptare non audebat.
hunc mulier audacior diabolo defraudare presumebat
Dyabolus itaque mulierem defraudabat.
mulier uero uirum et omnes posteros condempnabat.
Et si homo in mandato dei perseuerasset
nunquam penam. nunquam mortem aliquam gustasset
Nullam sustineret deblitatem uel lassitudinem.
nullam sentiret infirmitatem uel egritudinem
Sine gemitu et dolore et tristicia matris portaretur
sine fletu et merore et labore grauius nasceretur
Non nouisset luctum aliquem neque tribulacionem
non sustineret verecundiam aliquam neque confusionem
Aures eius nunquam obsurdescerent
et dentes eius nunquam obstupescerent
Oculi eius pre senio nunquam caligarent
et pedes eius nunquam aliquo defectu nec claudicarent
Nec flumina nec fontes eum ad mortem submersissent
nec ignis nec estus solis eum conbussissent
Nulla bestia nulla auis ipsum infestaret.
nullus aer nulla aura corrupta eum molestaret.
Nunquam homines inter se lites habuissent.
tanquam fratres se mutuo omnes dilexissent.
Subiecta esset homini omnis terrena creatura.
semper in gaudio uiueret sine omni grauj cura
Et cum deo creatori suo placuisset
cum corpore et anima in celum ipsum assumpsisset
Nullus autem homo presumat inuestigare
cur deus hominem quem sciebat casurum uoluit creare
Cur etiam ipsos angelos creare uolebat
quorum casum certissime precognoscebat
Et quare cor pharaonis regis uoluit indurare
cor autem marie magdalene ad penitenciam mollificare
Quare petro ter se neganti contricionem immisit
iudam autem in suo peccato desperare permisit
Quare uni latroni graciam conuersionis inspirauit
et socio suo similem graciam dare non curauit
Quare unum peccatorem trahat et alium non trahat
nullus quantumcumque prudens inuestigare presumat
Hec enim dei opera et alia hys similia
humanis ingenys sunt inscrutabilia
Huiusmodi questiones paulus breuiter soluere uidetur
quod si nollet wlt indurat deus et cui wlt miseretur.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0007
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt